



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio 1. In quo consistat confeßionis integritas, & quæ causæ ab illa
excusent?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

TRACTATUS TERTIUS DE SACRAMENTO POENITENTIAE, DISPUTATIO PRIMA

De integritate confessionis.

QVÆSTIO PRIMA.

In quo consistat confessionis integritas, & qua causa ab illa excusetur.

Suppono ex Tridentino sess. 14. cap. 5. & Canon. 7. quemlibet teneri iure Divino confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quæ post diligentem sui discussiōnem memoriæ occurrant. Qui verò, ait concilium, secus faciunt, & scienter aliqua reticent, nil Divinae bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Ex quibus omnes Theologi tanquam dogmata fidei defendunt, illicitam, & sacrilegam esse confessionem, in qua poenitens, absque legitima causa, scienter tacet in confessione peccatum aliquod mortale. Verùm cum aliqua sint iustæ causæ excusantes ab integritate confessionis, ad maiorem huius materie claritatem, duplicem integritatem in Sacramento confessionis, ex communi sententia, distinguere possumus, unam formalem, alteram materialem: Materialis est illa, in qua absolutè, & simpliciter omnia lethalia, quæ ab ultima confessione commisit, vel in ea oblita, quis confitetur; formalis verò integritas in eo stat, quod confiteatur omnia mortalia, quæ hæc, & nunc in hac confessione manifestare teneri; cui non obstat relinquere aliqua per oblivionem, aut quæ ob aliquam iustam causam tacere potest. Tenemur igitur ex præcepto Divino, confessionem formaliter integram efficere, nõ verò materialiter, existente legitima causa excusationis, ut docent omnes Theologi.

1. Jam quæ sint iustæ causæ ab integritate confessionis excusantes, passim apud Doctores reperies; & ex dicendis in hac, & sequentibus disputationibus clarè percipies: Nunc verò breviter dico ex communi Theologorum sententia plures esse; quarum alia ex parte confessoris, alia ex parte poenitentis, alia ex parte proximorum desumendæ sunt. Quoties enim singulis eorum divisim, vel omnibus simul, aliquod damnum grave, sive temporale, sive spirituale timeatur, & poenitens nullum habet confessarium, cui integre, & sine periculo talis damni confiteatur, tacere poterit peccatum, in quo tale periculum timeatur, cum proposito tamen confitendi cessante causa. Ratio omnium est, quia præceptum divinum de integritate confessionis, non obligat cum gravissimo noxamento proprio, vel alieno. Tum quia hoc præceptum sic ab universa Ecclesia fuit semper intellectum; tum quia præceptum divinum naturale charitatis for-

Parti II.

cius, & antiquius est: Ergo si unum cum alio concurrat, & utrumque servari nequeat, servandum est præceptum charitatis, nisi alia detur rationabilis causa ab obligatione charitatis excusans, ut agentes de circumstantia manifestativa complicitis ex professo examinabimus.

3. Ex his infertur primo; sceminam probabiliter timentem à confessario sollicitandam in confessione, aut extra illam, occasione confessionis, aut ab illo infamandam, aut futuram confessario gravem occasionem peccandi, si hoc, vel illud peccatum confiteatur, posse tacere in confessione tale peccatum cum proposito alteri confitendi, cum opportunitatem confessoris habuerit. Ita Pater Suarez de Poenitent. disp. 23. sect. 2. num. 1. Tolerus lib. 3. Sum. cap. 3. num. 4. Et Henriquez lib. 2. de Poenitent. cap. 12. num. 5. Secundo excusatur ab integritate materiali confessarius, qui alteri Sacerdoti confitetur, & probabiliter iudicat, si ei declararet certum aliquod peccatum, aut circumstantiam, quam per confessionem scivit, statim venturum in noticiam peccatoris, quem in confessione audiverat, Ratio est, quia maior est obligatio sigilli, quam integritatis confessionis. Ita P. Suarez 2. disp. 34. sect. 2. num. 14. Henriquez lib. 2. de Poenit. cap. 12. num. 7. & alii apud ipsos.

4. Tertio excusat impotentia physica poenitentis, ut si, incepta confessione, vocem, aut sensum amittit. Sic Henriquez lib. 2. de Poenit. cap. 12. Victoria in relect. de Poenitent. §. 151. & plures alii. Quarto excusat necessitas aliqua urgens, ut in procella, vel prælio, vel tempore pestis; tunc enim sufficeret, quod multos alta voce unum peccatum, quod maluerint, confitentes simul absolvat Sacerdos, dicens: Ego vos absolvo à peccatis vestris. Ita Medin. Angel. Henriquez, Coninch, & alii, quos refert, & sequitur Diana 2. part. tract. 2. Miscellan. resol. 43. & sequuntur Vasquez, Villalobos, Lugo, & alii, quibus subscribit Leander hic disp. 5. q. 34.

5. Quinto excusat ab integritate materiali probabilis timor, quod infirmus, sine absolutione discederet. Tunc enim audito uno peccato, debet confessarius absolvere, ut sic postea de cæteris, quantum infirmitas permiserit, ut benè P. Henricus cum aliis supra. Sexto excusatur ab integritate confessionis, qui, occurrente necessitate communicandi, quam non potest omittere absque nota, & scandalo, habet confessionem ad eò prolixam, ut perfici non possit, & aliunde de sua contritione prudenter dubitat: quapropter non audet, sola contritione præmissa, communicare. Ita P. Granad. in 3. part. contr. ov. 7. disp. 5. sect. 3. num. 20. Prædictæ causæ, & alia similes cuius facile obvia ab integritate materiali confessionis excusant. Omnes enim minutim recensere, nimis molestum foret.

X

6. Non

6. Non tamen omitam adnotare singularem opinionem M. Joannis Vigerii in *Sum. cap. 16. §. 4. vers. 17.* afferentis habentem plura lethalia, si causam habeat tacendi aliquid in confessione, posse urgente necessitate, communicare contritum, nullius confessione praemissa. Verum contrarium est certum apud Theologos, quia nil est, quod ab aliorum confessione excuset. Ideoque hanc opinionem prorsus falsam censeo.

7. Ex dictis infero, omnino rejiciendum M. Soto in *4. disp. 18. art. 5. §. Occurrit.* afferentem praecipuum de integritate materiali confessionis strictius obligare, quam praecipuum de sigillo, atque adeo Sacerdotem, non solum posse, sed teneri violare confessionis sigillum, quando necessarium fuerit, ne integritati materiali confessionis deficiat. Verba eius sunt.

* Occurrit hic dubium nullatenus dissimilandum. Utrum unam confessionem liceat revelare in alia? Exempli gratia, Sacerdos accessit ad fororem ignorantia vincibili, & probabilis, ignorans esse fororem, & postea ipsa confitetur fratri se esse illam ad quam accesserat. Et Sacerdos non potest confiteri, nisi alii, qui scit unicam illi esse fororem: Utrum debeat confiteri illi circumstantiam incestus, &c. Profecto res est dubia, & videtur veritas in hanc partem inclinare, quod non debeat illam circumstantiam confiteri, quia strictius est vinculum secreti confessionis, quam integre faciendae confessionis. Sic ajunt Scotus, Paludanus, Adrianus, & alii. Attamen ratio certe non usque adeo convincit, quia nescio, cur sit strictius vinculum servandi sigillum, quam integre confitendi, quandoquidem obligatio sigilli ex obligatione confessionis emergat, &c. Revera utraque opinio est probabilis, & fortasse haec probabilior, quod debeat confiteri.

* Hae Sotus. Sed miror virum doctum, tam levi fundamento, in tam singularem opinionem delapsus esse, quando tot sunt ad excusandum ab integritate materiali confessionis causa à Theologis omnibus approbatae, & nulla haec usque ab ullo in casu revelandam confessionem. Et quidem, si aliqua excusare potest ab integritate, cur non & ista? Ego sane etsi nullam excusantem admitterem, hanc unam exciperem, quia praecipuum confessionis ad solam integritatem formalem obligare, sanctum apud omnes est; sigillum verò confessionis, nec prototius mundi salute, nec pro inferno toto exponendo violari posse, & ex nullo sine honestate esse, sicut nec odium Dei, est apud omnes Theologos inconcussum. Quapropter sententiam Soti improbabilem esse, jure inquit Thomas Hurtado *tom. 2. resol. mor. tract. 6. cap. 11. resol. 27. num. 131.*

8. Omitto, quod licet integritas materialis confessionis sub praecipuo omnino indispensabili caderet, & strictius, quam sigillum obligaret, utrumque in casu M. Soti observari posset, nempe se accusando de copula cum persona vincibiliter sibi ignota. His enim verbis tota malitia illius actus exprimitur ex se expositus incestus, sacrilegio, & adultério. Unde inferes, quod si de solo incestu cum forore per confessionem noto se accusaret (ut contendit Sotus) inexplicata maneret malitia illius actus, ideoque & sigillum confessionis violaret, & integritati confessionis deficeret; ni forte sola species incestus in mentem venisset, & de hac solum dubia conscientia praecelsisset. In hoc autem eventu sufficeret se accusare de copula, ignorantia vincibili, an consanguinitate, vel affinitate in gradu prohibito, esset sibi persona conjuncta, juxta doctrinam Divi

Thomae, & discipulorum infra tradendam *disp. 1. quest. 3. cap. 2.* quae omnes gradus incestus ejulderae speciei, constanter defendit. Cui Sotus ipse non dissentit, ut constat ex verbis *ibidem numer. 21.* tradendis.

QVÆSTIO II.

An satisfaceret integritati confessionis, qui unum individuum physicum peccati pro alio subrogaret?

1. **C**Asus curiosus est, & apud neminem, quem viderim exagitat. Habuit quis, verò, gratia pollutionem, vel sodomiam cum puera, satisfaciet ne confessionis praecipuum (et si levis aliquid mendacio) confiteatur habuisse cum femina: huiusmodi circumstantia maris, vel feminae in peccato naturam, nec mutat speciem secundum quiddam, nec notabiliter aggravat, sed æquè grave peccatum est, ut nonnulli existimant. Similiter habuit quædam cum Maria, satisfaciet ne, si dicat, habuisse cum Anna? Occidit Petrum, satisfaciet, si confiteatur occidisse Joannem? Hoc inquam mendacium erit, quod contra praecipuum integritatis confessionis, in hoc hoc capite nulla, & invalida efficiatur? Hoc in praesenti inquirimus.

2. Pro parte affirmante confessionem esse nullam, ac proinde non satisfacere integritati, qui non individuum physicum pro alio subrogaret, est argutissimum argumentum. Quia ex praecipuo confessionis, tenetur quisque confiteri illa numero peccata, quae commisit, qui autem alio ex praedictis modis confiteretur, non explicaret peccatum commissum, sed aliud numero distinctum. Quapropter, si aliam materiam absolutionis non adhibuerit, faceret sacramentum irritum ex defectu materiae: ergo non individuum physicum peccati nequit in confessione pro alio subrogari. Ita videntur supponere communitate Theologi, qui rem hanc, ut sine controversia disputatione non vocant. Ideo obiter Card. de Lugo *disp. 16. de Poenit. sect. 2. n. 53.* * Si ille, inquit, qui occidit Petrum fratrem Confessarii, dicat se occidisse alium, nempe Joannem, ne confessarius suffragetur, non videtur sufficienter confiteri, quia non confitetur peccatum, quod fecit, sed aliud quod non fecit. * Quem sequuntur Tamburini in *Methodo ad praedictam confessionem, lib. 2. cap. 10. §. 2. num. 45.* Et Lugo ad *Sacram. tom. de Poenit. tract. 5. disp. 5. quest. 24.*

3. Nihilominus pro contraria sententia alio pro qua, quatuor supra viginti ab hinc annis, cum tractatum de Poenitentia è suggestu discipulis dictatum, & summi in publicis conclusionibus celebratum, & summi in publicis conclusionibus celebratum, & summi Complutensis illam amplecti defensionem, licet tunc nullo duce hanc sententiam dicentem, postea eam luci datam inveni à P. Arriaga *tom. de Poenit. tract. 8. disp. 34. numer. 10.* & *disp. 35. numer. 29.* Et novissime illam tueretur Marcus Vidal in *Arca solennitatis, typis data Venetis, anno 1660. in tract. de Sacram. Poenit. inquis. 7. num. 36.* dicens rationem hujus conclusionis esse eluram. Pro qui etiam stare videntur nonnulli recentiores, quos supprello nomine refero M. Petrus de Ledelina in *Sum. cap. 16. de Poenit. dub. 1. post concl. 3.* afferentes, eum, qui decem verba